

cenfet, eosque magni nominis, in administranda demandata sibi Ecclesia ediderunt sanctissimas leges, vel ad fidei dogmata a Novatorum erroribus servanda, vel ad ecclesiasticam disciplinam reparandam, promovendamque, vel ad Sedis Apostolicæ jura vindicanda, firmanda demum quæ ad Principatum bene, sancteque regendum præcipue pertinent, eæ nostram ad ætatem omnes pervenire potuissent. Novis profectò decretis ad nos ipsos instruendos, exterofque edocendos non indigeremus.

Huic incommodo Pontificiarum Constitutionum Collectione, quam typis meis publici juris facere sum aggressus, magna ex parte consului: meaque industria quamplurimos excitavi, ac præsertim Regularium familiarum Chronologos, Historicofque, ut vetera hujusce generis monumenta pro suis quisque viribus perquireret, & in unum collecta ad feros posteros amandaret. Hoc vero ut exequerer, me plurimum semper movit auctoritas Tua, juvit favor, atque patrocinium.

Quartam igitur Tomi Quinti Partem in manus hominum sub tuo nomine emitimus. In ea Bullæ, ac Brevia, quæ Paulus Papa V. ultimis decem apostolatus sui annis edidit, quasque Gregorius XV. primo anno sanctissime sanxit, continentur.

Li.

Libenti quidem animo cæteras quoque ejusdem Gregorii Constitutiones adjunxissem, nisi illorum commodo, qui magnæ molis fastidiunt volumina, consulendum esse putassem. Eòque libentiùs id præstitissem, quod altero regiminis sui anno cupidissimus ille propagandæ per orbem fidei catholicæ Pontifex Sacram de Propaganda Fide Congregationem erexit, eamque cardinalitiis, quos vocant, anulis dotaverit, amplissimisque donaverit privilegiis. Hujus Congregationis pars magna es, PRINCEPS EMINENTISSIME: & cum rei administrandæ præsis, quam ille erexit, summa augendam curas diligentia: atque inde potissimum fit, ut volumen hoc Te præ cæteris jure quodammodo suo sibi vindicet Mæcenatem.

Neque verò præclarissimi generis tui laudes hic ausim recensere: tum quod ejus originem ex antiquitatis tenebris eruere, difficillimum esse experti sunt eruditissimi omnes; tum etiam quod probè noverim, Te hujusmodi laudes tamquam alienas despiciere. Patere tamen, PRINCEPS EMINENTISSIME, nonnulla summis a me saltem labiis delibari.

Itaque cum doctissimis quampluribus Viris asserere non dubito, Columnenses ex ipsa Regionis Columnæ in Via-Lata
appel-

appellatione suum fuisse nomen sortitos. In ea siquidem Regione splendidissimas semper ædes habuere Columnenses, omniumque nobilissimi Seculo VIII. habiti sunt.

Optimo proinde jure, ac validissima conjectura rerum antiquarum peritissimi nonnulli viri eidem Familiæ Hadrianum Papam I. adnumerant. De eo siquidem Anastasius Bibliothecarius sic scribit: *Hadrianus, natione Romanus, ex patre Theodoro, de Regione Via-Lata, vir valdè præclarus, & nobilissimi generis prosapia ortus, atque potentissimis parentibus editus.* Carolus vero Magnus in Epitaphio, quod ejus sepulchro insculptum voluit, hæc lacrymans cecinit: *Nobilis ex magna genitus nam gente parentum.* Quod si ævi illius historias quis perlustraverit, nullam aliam in Regione Viæ-Latæ, seu, ut appellari etiam solet, Columnæ, Familiam nobilem, ac potentissimam reperiet præter Columnensem.

Potentissima profectò per id temporis haberi merebatur Gens Tua, PRINCEPS EMINENTISSIME: quippe quæ ex Tusculanis Comitibus profluens Tusculo imperabat, antequam Stephanus Seculo XI. Emiliæ Prænestes Comitissæ nuberet. Quod ut rear, ipsa Comitum Tusculanorum potentia facit. In comperto siquidem est, neminique dubium, Columnenses Castris,
Oppi-

Oppidisque Tusculo finitimis esse potitos, quo tempore Tusculani Comites potentissimi prædicabantur. Quis verò sibi suadeat, Tusculanos Comites a Columnensibus fuisse distinctos, qui sua illos potentia obruere potuissent?

His accedit, Petrum Columnam Tusculi Cœnobium Sanctissimæ Trinitatis a se erectum, hæreditariisque dotatum bonis Casinensibus tradidisse, Romanam Sedem administrante Alexandro Papa II. Porro in Instrumento hujusce foundationis, quod refertur ab Erasmo Gattula in suo Chronico Casinensi, Petrus Othonis, & Georgii pater, ac Dominus Castri de Columna, *Consul, Dux, & Senator Romanorum, ac Tusculi Dominus* appellatur. Othonem verò Eugenio III. Pontifici Tusculi partem pretio vendidisse, testis est Cincius Camerarius, qui venditionis hujusmodi refert Instrumentum. Is demum fuit semper Gentis hujus splendor, ea potentia, ut de illa pluribus agere voluerint Cardinalis Baronius, Blondus, Volaterranus, Gualdus, Prioratus, Ciaccorius, Ughellius, Sansovinus, alique quamplurimi: quos inter ultimo loco ponendus non est Franciscus Petrarca, qui a Stephano Columna ineunte Seculo XIV. in præceptorem Nepotum adhibitus, ludicram Joanni Stephani ejusdem filio, quem etiam
disci-

discipulum habuerat , a Joanne XXII. inter Cardinales cooptato inscripsit. Epistolam , in eaque super Columnæ cognomine perbelle , sciteque jocatur.

Quod si quamplurimis omisis , quæ vel ad militarem gloriam pertinent , vel ad potentiam , vel ad partam literis gloriam Columnensibus , qui mox Prænestes Domini , recentioribus verò temporibus *de Carboniano* sunt appellati ; nonnullos Proavos Tuos recensere velimus : facile occurrunt Beata Margarita , cujus vitam inter alios scripsere Lucas Waddingus , & Gallonius , sacrumque corpus in æde SS. Silvestro , & Stephano Pontificibus Romæ dicata asservatur ; nec non Beatus Bartholomeus in celeberrimo Benedictinorum Monasterio propè Mantuam tumulatus .

Joannem Cardinalem Tituli S. Praxedis temporibus Honorii III. apud exterarum quoque gentes celeberrimum , *hospitales domos ad Lateranum occidentem versus suis opibus cum magnis redditibus in alimenta peregrinorum , & egenorum cum singulari pietatis laude primum edificasse* , testantur Onuphrius Panvinius , Volaterranus , ac Sansovinus .

Huic non absimilis Jacobus Othonis filius , quem S. Cardinalium Collegio Nicolaus Papa III. adscivit , Monasterium in Urbe Roma , quod Sancti Silvestri in Capite

pite solet appellari , ære suo erectum , prædio , quod *Columnensem* vocant , donavit . Cum autem esset *Archipresbyter Sanctæ Mariæ Majoris* , inquit Ciacconius , *anterioriorem partem , absidem , musivo opere pro temporum conditione elegantissimè decoravit ; Sacella multa erexit .* Eam verò cum extremis tabulis omnium prorsus , quæ sui juris erant , hæredem instituerit ; unum hoc imposuit onus , teste Hyppolito Marraccio , *ut Capitulum , & Canonici perpetuò sex Sacerdotes alerent , quorum quatuor Sacrificium quotidie celebrarent in S. Joannis Sacello ab ipso constructo ; reliqui quotidie sacra facerent in Nicolai IV. Sacello ab eodem Jacobo Cardinali condito .*

Jacobi , quem nunc laudavimus , Nepos , ac Joannis filius Petrus Cardinalis , quem suis in ædibus Xenodochium Sancti Jacobi *Incurabilium* vulgò dictum fundasse , bonorumque omnium hæredem dixisse , memoriæ prodidit Ciacconius , ac pervetusta Inscriptio , quæ in antiqua Ecclesia ejusdem Sancti Jacobi legebatur , & ipse Liberianæ Basilicæ Archipresbyter Patruivi vestigia sequutus , multis eam donavit prædiis . Porro ejusdem Basilicæ Canonici inperenne grati erga Jacobum , & Petrum Cardinales animi monumentum , hoc in Sacrario elogium insculptum esse voluerunt : *Petrus , & Jacobus Columnæ hujus Tem-*

pli Archipresbyteri Cardinales ambo de re sacra præclare meriti: sed Jacobus opere, sumptuque collato cum Nicolao Pontifice ex instauratione Basilicæ decessit illustrior.

Sed cum nonnihil ex eo fonte attingendum necessariò mihi sit, unde tota hæc nostra Collectio dimanat; sub silentio præterire non possum, quæ S. Pius V. in celeberrima, quam dedit anno 1572., Constitutione de præclare pro Apostolica Sede gestis rebus a Columnensibus Prænestes Dominis differuit: Intra mentis nostræ arcana, inquit Sanctissimus ille Pontifex, debita meditatione revolventes egregia virtutum merita, quibus dilecti filii Nobilis viri Julii Cesaris Columnæ Domicelli Romani antecessores in nostro, & Sedis Apostolicæ conspectu claruerunt, inter quos extitit hoc: me: Joannes Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Columnæ nuncupatus, qui a fel. record. Honorio Papa Tertio Prædecessore nostro Sedis Apostolicæ Legatus effectus, dum in expeditione Hierosolymitana inibi munere suo fungeretur, inter duos postes a barbaris hostibus inclusus martyrio intrepidè se objecit; quod profecto etiam sustinisset, nisi ipsius Joannis Cardinalis constantia, & fides barbaros ipsos a proposito deteruissent: nec multo post inde discedens Eriopolim Urbem in Nili ostiis sitam expugnavit: Romam postremò rediens Columnam, cui Re-

dem.

demptor Noster Christus Dominus, dum plagas sustinebat, alligatus fuit, secum attulit: Cujus exemplum sequutus Stephanus Romanæ Ecclesiæ copiarum Dux sub piæ memoriæ Eugenio IV. etiam Prædecessore nostro Alphonsum Calabria Ducem prælio fudit, ingenti hostium strage edita, magnaque præfatæ Ecclesiæ Romanæ parta victoria: Alter autem Stephanus ipsius Julii Cesaris pater consilio, & armis clarissimus eandem Romanam Ecclesiam ita observanter dilexit, ut pro ea pluriès dimicare non dubitaverit: A quo non degenerans Franciscus ejus natus piæ memoriæ Paulo Papa IV. etiam Prædecessori nostro pro aris, & focis dimicanti auxilium benignè tulit: Nostri deinde mandatis obtemperans in Emiliam profectus, Ariminum contra asiaticos tumultus firmavit. Præsenti quoque consideratione recolentes ipsius Julii Cesaris in Nos, & Sedem præfatam devotionem, & sedulitatem cum animi promptitudine ad omnia officia, munera, & labores pro christianæ religionis, orthodoxæque fidei defensione subeunda conjunctam &c.

At quorsum hæc? Ornentur alii mortuorum virtute; qui propriis abundas, non indiges alienis. Porro BENEDICTUS XIV., qui maximo omnium bono, summoque rei catholicæ incremento Christi Ecclesiam regit, cum Sacram Purpuram Tibi detulit, Homini non Generi, Moribus non

Majoribus, virtuti perspectæ, sibi que probatæ non auditæ nobilitati concessit. Mirentur alii tuam diversis in rebus fortitudinem, animique robur invicti, quod nec illa quidem, quæ in rebus humanis fortuna dominatur, ullo pacto potuit umquam infringere. Mirentur prudentiam, æqui rectique amorem, candorem animi, liberalitatem. Hujusmodi virtutes acquirunt alii summo labore, longoque rerum usu: Sunt tamen Romano viro ingentis, Romanoque in pectore ipsa cum luce nascuntur.

Nunc earum rerum, quas ipse quidem hoc tempore possum, maximam benigno animo excipe, PRINCEPS EMINENTISSIME, omnino neque amplitudine tua, neque iis officiis, quæ in me contulisti, digna res videtur; sed ut spero, muneris nostri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo sublevabit. Quod cum spero, postuloque, Sacram Purpuram summo cultu deosculor. Vale.

Dabam IV. Nonas Majas MDCCLIV.

IN-

INDEX

RUBRICARUM BULLARUM

ET PRIVILEGIORUM OMNIUM,

Quæ in hac Tomi Quinti Parte Quarta continentur,

*Quæ hoc Indice designantur, erant
in Editione Cherubini.*

PAULUS QUINTUS.

- | | |
|---|---|
| <p>CLXXII. Inhibetur Jesuitis, & Fratibus Ordinis Minorum Bisuntinae Civitatis, ne facultates in Universitate Studii Generalis Oppidi Dolæ ejusdem Bisuntinae Diocesis, legi solitas, in dicta Civitate doceant, nisi pro suis respective Religiosis. Pag. 1</p> <p>CLXXIII. Declaratur, Fratres Congregationis Joannis Dei, in Regnis Hispaniarum, tria vota substantialia, & quartum servandi infirmis in suis Hospitalibus emitte, & sub Regula S. Augustini, Ordinariorumque correctione, & obedientia degere debere, verosque propterea Religiosos, & Regulares esse censendos. 2</p> <p>CLXXIV. Mandat Capitulo Ecclesie Paderbornen., ut ad electionem Coadjutoris cum futura successione procedat in regimine, & administratione dictæ Ecclesie. 4</p> <p>CLXXV. Episcopo Paderbornensi: in idem argumentum. 5</p> <p>CLXXVI. Capitulum Ecclesie Monasteriensis hortatur, ut Archiepiscopo Coadjutorem eligat. 6</p> <p>CLXXVII. Provincia de Pernambuco in Indiis Occidentalibus disjungitur ab Ecclesia S. Salvatoris, & in Vicariam perpetuam erigitur. Ibid.</p> <p>CLXXVIII. Declarat, Collectas exigendas esse, ubi sita sunt possidentium bona, non autem in loco eorum Domicilii. 9</p> <p>CLXXIX. Institutio Congregationis pro ubertate Annona, & Grascia, in Sedis Apostolica temporalitudo, & in Urbe potissimum curanda, ultra Congregationem Cardinalium a Sixto Quinto erectam. Et concessio privilegiorum Agriculturnm exercentibus. Ibid.</p> <p>CLXXX. Episcopo Sarsinaten. conceditur facultas cognoscendi omnes causas tam civiles, quam criminales, & mixtas vertentes inter subditos Castrorum Ceula, Mutella, Cerfolii, Fenoculi, & Putei in prima, secunda, & tertia instantiis. 12</p> <p>CLXXXI. Dismembratio Provincie de Mozambique ab Ecclesia Goana, ejusque erectio in Vicariam perpetuam. 13</p> <p>CLXXXII. Clericis, & Laicis Regnorum Hispaniarum interdicitur, quominus</p> | <p>libros hæreticorum legant revocatis omnibus licentiis aliis concessis. 16</p> <p>CLXXXIII. Declaratur Castra Ceula, Mutella, Cerfolii, Fenoculi, & Putei ad supremum Sedis, & Camerae Apostolicæ dominium pertinere. 17</p> <p>CLXXXIV. Facultas Nuncio ad Præpositum, Decanum, & Capitulum Ecclesie Salisburgen., admittendi cessionem regiminis dictæ Ecclesie cum certis conditionibus. 19</p> <p>CLXXXV. Condiciones apponendæ in admisione cessionis Ecclesie Salisburgen. 20</p> <p>CLXXXVI. Facultas Nuncio Salisburgen. admittendi cessionem regiminis dictæ Ecclesie cum conditionibus sibi benevisis. 21</p> <p>CLXXXVII. Facultas Nuncio ad Capitulum Salisburgen. admittendi cessionem regiminis Ecclesie Salisburgen., & Archiepiscopum ab eisdem Ecclesie vinculo absolventi. 22</p> <p>CLXXXVIII. Facultas Capitulo, & Canonicis Ecclesie Salisburgenis deveniendi ad electionem, seu postulationem novi Archiepiscopi. Ibid.</p> <p>CXXXIX. Reformatio Tribunalium Urbis, eorumque Officialium. 23</p> <p>De Signatura Gratia, & Justitiæ. Ibid.</p> <p>De Camerario, & Camera Apostolica. 24</p> <p>De Governatore Urbis, & ejus Tribunali. 25</p> <p>De Auditore Camera, & ejus Tribunali. 26</p> <p>De Auditorio Rotæ. 28</p> <p>De Capitolio, & ejus Officialibus. 30</p> <p>De Jurisdictione in Hebræos. 31</p> <p>De Curia Sabellorum, & Turris Nonæ. Ibid.</p> <p>De Curia Ripæ, & Ripetæ. Ibid.</p> <p>De Judicibus Criminalibus Urbis, & pertinentibus ad eos. 32</p> <p>De Judicibus in causis Civilibus. 34</p> <p>Communia Judicium omnium tam civilium, quam criminalium. 35</p> <p>De Sportulis, seu propinis. 36</p> <p>De Commissariis. Ibid.</p> <p>De Advocatis Pauperum, & Fisci. 37</p> <p>De Pauperum Procuratoribus. Ibid.</p> <p>De Fiscii Procuratore, & Substitutis. 38</p> <p>De Advocatis, Procuratoribus, & Solicitoribus. 39</p> <p style="text-align: right;">De</p> |
|---|---|